

§. 15.

Thoracis & Pulmonum procatarxis itidem est vel habitualis, vel accidentalis. Quarum illam voco prædispositionem quamvis, plus minus latentem, per quam nonnullos tussi frequentius obnoxios, asthmaticos, hæmoptoicos aut vitiosa pectoris angustia similive conformatione laborantes, Peripnevmonia promptius corripitur, *Forestus l. a. obs. 44.* & *Willis. Pb. Rat. P. II. S. I. c. 8.* tradunt & experientia loquitur. Quibus forsitan accensere licebit eos, quorum viscera vitalia infarctus polyposos tenent, quibus circulatio sanguinis intra pulmones ad stagnationem usque impeditur: ut potiore forsitan jure polyposæ ejusmodi concretiones in vasis pulmonum horum inflammationis, quam, juxta *Malpighium de Polypo Cordis*, Pleuritidis, sodales ac causæ pronunciari possint. Accidentalem dicere liceat, qualem injuriæ seu violentiæ externæ producunt, pectus ad pulmones insigniùs lædentes, sc. contusiones v. g. à vulnere, casu, quale quid *Rumlerus obs. IV.* annotavit. Mediant forsitan inter prædispositionem ad peripnevmoniam habitualem & accidentalem angina ac Pleuritides, quatenus iis aut peripnevmonia supervenit, aut in hanc illæ transmutantur: quod ab utraque illarum circulatio sanguinis per pulmones turbetur, hinc sanguis ad grumescendum ac stagnandum intra hos disponatur. Perinde ac ab officulo deglutito exactam inflammationem œsophagi & asperæ arteriæ in consensum evidentem pulmones traxisse, penes *Hildanum Cent. V. obs. 35.* legimus.

§. 16.

Etsi interdum inflammationem ejusmodi, sine ullâ procatarxi, patrent errores in diætâ vehementiores v. gr. circa potum frigidum, exæstuante inprimis corpore haustum, item aërem frigidiorum, qualia exempla superius ex
diver-